

1686.

1. Bergerus, Ioh. Gottlieb: De chilo.
2. Meissner, Michael: De suppliciis crucis abrogatione
3. Menclius, Loderus: De reversione emptiorum ver-  
ditionis per substitutionem factae oblaesione  
velha dimidium. Et 1. 2. 1. de reverend. vnde.
4. Monckemius, Loderus: De alimentis fibrorum & pater-  
nosteris et non praestans.
5. Mylius, Loderus: De iurisdictione mandata.
6. Philippus, Fridericus: De usu.
7. Philippus, Fridericus: De remedio f. si contem-  
das. dig. De fiducioribus.
8. Schreueren Dippius, Barthol. Leopoldus: De agarditione  
regalium
9. Schreueren Dippius, Barthol. Leopoldus: De parvula  
lime extra domum.
10. Schreueren, Johann Vnde: De matrimoniis femininae  
Imperantis cum manto subtito.

11<sup>a</sup>2t Thomassus, Christian: Te filio, sub conditione  
h' se filium probaverit, herete instituto est.  
I. Lucas 83. De condit. et demonis.

nd  
T.  
r  
2  
1  
2  
M. J. FICKIUS  
Universitätsbibliothek Sachsen-Anhalt  
Medicæ  
ARTE PÆDÆ  
JCH GOTTHORF REDOBER-  
GERA Medicinae Doctore & Pro-  
fessore Extraordinario  
Palmae Medicorum Cognitorum pulmori  
M. JOHANNES JACOBUS FICKIUS,  
professore  
1777 DC LCCP  
M. J. FICKIUS  
BRUNNEN & GEORG

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

*Q. D. B. V.*

DISPUTATIONEM

*De*

**CHYLO,**

Consensu Gratiissimæ Facultatis

Medicæ

*P R A E S I D E*

JOH. GOTHOFREDO BER-  
GERO, Medicinæ Doctore & Pro-  
fessore Extraordinario,

*Publicæ Eruditorum Censuræ submittit*

M. JOHANNES JACOBUS FICKIUS,  
Jenensis.

*Ad d. 19. Februar. M DC LXXXVI.*

In Majoris Ppum Collegii Auditorio

Majori.

Horis ante meridiem consuetis.

---

LIPSIÆ

Literis JOHANNIS GEORGI.

Digitized by  
Universitätsbibliothek

SGH

GOTHEBECK

GOTHEBECK

Mit

Werkstatt

JOHANNES GOTHEBECK

GETRG. MATHIAS GOTHEBECK

GOTHEBECK

GOTHEBECK

GOTHEBECK

GOTHEBECK

BRUNNEN

BRUNNEN

I. N. 3.

**I**N quod ingenii atque nervorum contentio-  
ne sumimâ incumbunt Spagyrici, ut centra mixto-  
rum referent, & horum essentias, separatis terre-  
stribus filiis, eliciant, atque in purissimas magna-  
rum virium tincturas exalent; In eo multis pa-  
rasangis à Naturâ superantur. Ecquis Artistarum  
enim æmulari illam unquam potest, quando in hu-  
mano corpore, tot ex partibus artificiosissimè contex-  
to, tot receptaculis aptè distincto, tot foci debitè in-  
structo, tot cribris & circulatoriis vasibus pulcherrimè  
exornato, ac velut universale aliquod laboratorium in  
se continente, compagem ciborum omnis generis non  
blandissimè solummodo dissolvit, sed & toti alendo cor-  
pori congruam, quam chylum nuncupant, essentiam  
extrahit, atque continuâ digestione & circulatione, spa-  
gyrico plusquam artificio depurat, exaltatque in nitidissimam splendidae rubedinis tincturam, vitæ istam  
scaturiginem? Quod certè Artis, Naturæ alias egregiè  
æmulæ, *in pycnæ* longè transcendent. *Enim* verò quam-  
vis certi cujusdam menstrui ope, & adjumento dige-  
stivi caloris, analogum ex alimentis chylum produxe-  
rint illustris Boyle & CL. Tachenius, hunc tamen  
multis à vero passibus distare, quem Naturæ chymista,  
ventriculus, cum processibus suis conficit, ipsi fate-  
buntur laudatissimi Autores. Allectus inimitabili Na-  
turæ labore, Indolem, Ortum, Motum, Ususque Chyli,  
quantum vires permittent, scrutabor. Cœpta DEUS,  
cujus gloriæ litant, fortunet!

A 2

Th. I.

Thef. I.

C HYLI nomine, quod ex Græco χυλός in Latinum per consuetudinem abilit, optimam ex alimentis in ventriculo & intestinis elaboratam ac defæcatam partem intelligi, albam in vasibus suis colore, subdulcem, vel leviter falsam saporem, & liquidam consistentiâ sanguinis & lymphæ, hincq; fluentium humorum omnium, & totius corporeæ machinæ alimentum, res est inter Nostrates decisæ, ex quo is Asellii atq; Pecqueti auspiciis, in canaliculis suis ac receptaculis & oculis & manibus subinde oberrat; ut qui hoc negaverit, aut sensuum ejuret fidem, aut præ cæcitate, vel negligentiâ, vel partium studio, non videat rem oculis obviam, *Summo Viro, Conringio, censente, op. de Sanguin. generat. & mot. nat. cap. 3.*

II.

Cujus quidem indoli pervestiganda, quò faciliorem patrat aditum elaboratio, cui chylificationis nomen usus imposuit, hoc curiosiores de eâ nos esse in ipsis initiosis oportet.

III.

Illa verò ipsa quemadmodum populariter nuncupatur alimento inventriculo in lâcteum succum, qui chylus dicitur, conversio; ita in explicando hujus producendi modo sententiarum divortia tot hactenus actæ lites abundè commonstrant. Præcipuas hic ingessisse sat erit.

IV.

Sed brevibus complecti rem expedit. Nec enim latere quenquam arbitror, omne chyloëos negotium calorim primùm, hinc chylificatoriæ cuidam facultati esse, & è liene inventriculum derivataæ melancholia commissum antiquitus, quo usque enatus per ignem Philosophus, quo nomine sibi Helmontius placuit, notatâ caloris insufficientiâ, & rejectâ chimæricâ, quâ nihil scimus, facultate, cum ministrâ melancholiâ, corrigere annixus errorem, specificum vitale transmutativum fermentum, cui par non sit aliud in rerum naturâ, introduxit. *Trr. imago fermenti. Calor efficienter non digerit & Sextuplex digestio.*

.I. II. T

¶ A

V.

## V.

Id ipsum quamvis cum Galenicā facultate & lienosā melancholiā pari deinceps passu autopsia miserit, non ita tamen penitus ē Scholis discessit, quin mutatā saltem origine mox pristinum applaufum recuperarit. Hinc enim est, quod fermentatio chylosoeos opus adscribant vulgō, ejusque elaterem & transmutandi principium in fermento ventriculi isto, ortu geniove hucusque litigiosis, querant: Quā tamen exhaustiri istud, ægrius sibi persuaderi patitur verè oculata præfens atas.

## VI.

Etenim ambiguū primō est, an fermentatio, qualis supponitur vulgō, in chylificatione etiam contingat. Cui documento esse potest, quod alimenta ad fermentationem minus proclivia, in chylum nihilominus laudabilem convertantur, & ex adverso ad fermentationem maximē prona digestioni minus obsecundent, sed cruditatum, ruetuum, torminum fluxuumque, experientiā teste, feracia existant: Ut adeò, si concipere hīc fermentationem, quam decet, libeat, eam non tralatitiæ illi similem, sed aliam planè certique generis vocare cum *CL. Mæbio in fund. med. physiol. cap. 10.*, vitalem nimirum, malim. Quin admittatur illa secundō autoribus suis, uti excludi omnimodè, sed sub vitalis directione, renuit, infufficiens tamen & minus adæquata explicanda chylosi vel ideò jure censemur meritissimo, quod confusiva solummodo fit minimorum, evolutionem alibilium adjuvans quidem, sique ad antecedentia processum spectans, ipsum autem administrandi modum neutiquam exhaustiens, accurato *Excellentiss. Wedelii nostri judicio, in physiol. med. sēt. 3. cap. 8.*

## VII.

Ast commemorasse ista hoc loco, quām de singulis judicasse sufficiat. Expediōrem namque declarandæ chylosoeos viam ipsa natura, si attentiori eam oculatoque animo intueamur, monstrat, quam ingressi avi nostri ingeniosi viri certis per anatomē experimentis planam satis reddiderunt. Tam expresa & evidentia vestigia sequi, magis ad rem & apprimē confert. Ubi autem penitus singula attendo, illico advertere habeo, eo prorsus modo, quo extractum paraturus chymicus per blanda

A 3

eaque

eaque appropriata menstrua procedere solet, id est, *Solutione & extractione*, peragi universam chylosin, adeò, ut operationi huic mechanico-chymicæ æquiparari gaudeat ipsius sapientissimo naturæ instituto.

IX.

Enimverò quernadimodum ad istam quinque vulgò requiri constat: Rem 1. extrahendam, 2. præparationem seu comminationem, 3. receptaculum, 4. liquorem solventem, qui recepto loquendi modo menstruum audit, & 5. digestionem; Sic cuncta in chylificatione concurrere, fido testimonio *Sensus* evincunt, ex quibus modum operandi istum, sive processum, colligere ac definire, liberæ præjudiciis *Rationi* facillimum,

IX.

*Res extrabenda* alimenta sunt ore assumpta. *Preparatio* mandendo peragitur, dentium, tanquam pistillorum quorundam naturæ, linguæ, labiorum, motus maxilla inferioris & saliva beneficio: Dum ab incisorii istorum cuneis crassiores boli in minutiores partes divisi, planisque molaribus commissi, & hinc inde linguæ ac labiorum motu jactati, velut sub molâ microcosmica, in mensis ipsorum ita conteruntur, ut nisi saliva continuè influeret, crassioris pulveris speciem repræsentarent. Sed quia jugi affluxu ista in os eructatur ex propriis infinitis ferè vasculis, quorum novum par, superius alterum, ad differentiam *Stemoniani*, vocatum, orbi nuper detexit *CL. Antonius Nuck. tr. de hoc edito*, hâc, tanquam primo vitali menstruo, alimenta tam intra, quam extra os subacta ac præparata, perpetim irrigantur, & ad solutionem laxantur, perinde ut durioribus contritis corporibus menstruum primo leviter à chymico aspergitur.

X.

*Vas continens*, vel officinam potius, ventriculum esse, proletarium est & in vulgi ore. Huic tamen intestina, tenuia præsertim, productiones ventriculi, suo jam tempore jure addiderunt *Galenus 4. de usu part. cap. 17. & Vidus Vidius de tuend. valetud. cap. 5.* eâdem utpote substantia & menstruis iisdem gaudentia, quibus inchoatam in ore, & continuatam in ventriculo ciborum solutionem in tubis istorum perfici, verissimè Recentiores

tiores afferunt. Quem in finem conniventes intestinorum valvulae, quae Kerckringium inventorem habent in Spicileg. ann. ob. 39. ex tunicis interioribus, nervea & glanduloso membranaceo ita complicatae sunt, ut intra duas ubique illarum contignationes, tanquam ventriculum singularem, remorari alimentorum massa, ac digeri magis, dissolvique & extrahi queat: Unde & maxima glandulosorum plexuum copia ibidem natura luxuriat.

XI.

Absit autem, ut pro solis receptaculis ventriculum cum intestinis habeam, nec plus forte ad alimentorum digestionem conferre, quam vel lebes elixandæ carni, vel vitreum vas extrahendis rerum essentiis impertiri potest, priscorum more statuam. Præter hoc enim nobilioribus multo, quin ipsius naturæ Spagyrici munis eadem fungi, inde manifestò constat, quod & ubera menstrualis lymphæ ista, glandulas ex conglomeratum penu, quas Willis Pharm. rat. part. I. sect. 2. cap. 2<sup>o</sup> Weperus Miscell. Curios. Germ. ann. 2. ob. 251. Et his, cicut. aquat. p. 121. Pecten exerc. de purgant. & exactissime omnium Peyerus in exerc. duab. anatom. med. descripserunt, continent, hancque jugi motu mediae musculosæ tunicae ope in alimenta exprimendo, totamque massam blandè agitando & subigendo, solutionem insigniter promovent, adjuvante præsertim, à sanguine & spiritibus oriundo, perenni digestivo calore, cuius in recludenda corporum compage, armandisque menstruis plusquam notoria virtus est, à celeberr. Langelotto ep. ad Nat. Curios. graphicè expressa.

XII.

In his nempe dictis alimentorum officinis perpetuis scaturientes rivis humores, salivæ, menstrui ventriculi, succi pancreatici & lymphæ intestinalis donati nominibus, quem nisi inventorum seculi hujus ignarum planè rudemque latent? Hi quamquam partim sub acidorum fermentorum velo incesserint haec tamen, nunc tamen quamplurium magnæ famæ Anatomicorum, qui post Sylvium atque Graafium & gustarunt illos, & in naturam ipsorum usumque curatius inquisiverunt, auspiciis, genuinæ restituti naturæ, blandissima vitalia menstrua client, quorum ope in aprico jam est, abstrusum olim ac controversum haec tamen chylofæos negotium,

XIII.

## XIII.

Quod ut è clarius eniteat, de origine eorum & nativa  
indole paucis dispiciendum. Illam ex lymphâ ducunt, alterâ  
& potissimâ sanguinea molis sero-gelatinosâ parte, quæ sub  
purpureo recondita velo, è corde per arterias in partes quaqua-  
versum omnes emanans, rursumque, emenso cursu suo, purpu-  
rea partim per sanguiferas, partim limpida & crystallina per  
lymphicas venas eidem se cordi reddens, perpetuo per micro-  
cosmi orbem circuitu agitur, & diversis pro vasorum, quibus ve-  
hitur, diversitate, seri, laticis, lymphæ, roris, nominibus, re tamen  
ipsâ eundem denotantibus humorem, venire solet. Ab hâc, in-  
quam, peridromâ lymphâ, per dictos arteriarum canales oris,  
cesophagi, ventriculi intestinorumque glandulis infusa, ex osculis  
istarum per proportionatos poros, tanquam cribra, sequestran-  
tut menstruales istæ lymphæ, & per proprios excretorios du-  
ctus extrahendæ alimentorum mæsa ubere venâ suppeditantur,

## XIV.

Indolem harum si ex impressionibus, quas in sensu fa-  
ciunt, rimari velis, unam eandemque omnium reperies, à lymp-  
hâ, cuius soboles sunt, parùm alienam. Oculis namque sub-  
jectâ limpidae apparent singulae, aquæ tamen simplicitate ali-  
quantulum cedentes, quandoquidem lucis radii majorem pau-  
lò mutationem inferunt, & subviscidae tactu reprehenduntur.  
Linguæ, vero de faporibus judici, aculeos nullos imprimunt, sed  
insipidae sunt & inodoræ, salivæ prorsus analogæ, quemadmo-  
dum præsente fano sensu, Steno in obs. de gland. or. Needham.  
deformat. fæt. cap. 4, Peyerus loc. cit. Brunnerus diatr. de lymph.  
& succ. pancr. Collectores Bibliothecæ Anat. tom. I. part. I. p. 178,  
alique plures celeberrimi Anatomici attestantur, quibus Excel-  
lentissimum Bobnium nostrum sūmum adjicere calculum, nupe-  
ræ demonstrationes anatomicae docuerunt. Idem & Ratio suadet.  
Cum enim ex uno & eodem insipido fonte, lymphâ, di-  
versis saltim locis per dicta glandularum cribra in unum con-  
tinuum alimentorum canalem omnes emanent, obscurum sanc-  
est, undè decantatum adeò acorem in statu naturali contrahe-  
re possint, quo de nec ipse pancreatici acoris propugnator,

CL.

*CL. Graafius*, satis sibi constat, dum succum hunc modo acidulum, modo insipidum penè, nonnunquam auferum, sèpius salsum, sèpissimè acido-falsum, repertum fuisse scribit, & varios fapores istos variis corporum, cùm sanorum, tūm ægrorum, dispositionibus imputat; sanum tamen illum acidò-temperatum, imò insipidum penè fatetur, *tr. anatōm. med. de succ. pancr. nat. & us.*

### XV.

Neque enim à glandularum fermentis, ex *Helmontio, Willo, Helvetio*, suppositis haec tenus, mutuari acorem istum fas est, quorum quippe existimatio apud illos jam pridem eviluit, quibus ad fluidi & liquidi in visceribus horumque glandulis secretionem variam, supposito interno rarefactivo sanguinis motu, quo omnes particulae legitimè attenuantur & discontinuantur, sola mechanica pororum conformatio sufficit, ita, ut pro texturâ glandularum diversimodè figurata, laxioreque vel firmiore, sanguinis moleculæ purissimæ & tenuissimæ aereæ lucidae, elaterie ista animalis machinæ, in glandulis cerebri, sulphureæ seu oleosa in hepatis acinis, chyloso in mammis, glutinoſæ subtiliores in testibus, serofæ, sed vitales, spirituque prægnantes in glandulis salivalibus, œsophagi, ventriculi, intestinorumque & pancreatis, urinosa in renibus, atque sic alia in partibus aliis secedant, circa fictitiorum fermentorum concursum. Vid. *CL. Borellus de motu animal. part. 2, p. 220. & seqq.*

### XVI.

In eo nimírum à lymphâ differunt menstruales rivuli, quod aquæ magis & gelatinosâ nutritiâ parte orbati, verbo, quod serofa lymphæ portio sint. Cujus rei evidentia familiariter constat, quo lympha sive sanguineis, aut propriis elapsa canaliculis, leni ignis calore exhalata, vel supernatante aquæ parte, in gelatinam concrescit, multis minimis conspicuum fibris; quod verò illis non accedit, manifesto absentis gelatina indicio.

### XVII.

Ab hac ergò nutritiâ gelatinâ separari in glandulis istis serofam partem, & chylificatoriis infundi organis existimo, consulto hoc naturæ arcano, ut alimenta dissolvat, nutritias atomos

B

imbi-

imbibat, hisque denuò grayida sub candicantis chyli specie ad sanguinis oceanum remeet, & ita vitalis chylifaci menstrui mucus obeat.

### XVIII.

Euidem non diffiteor, quod in promtu sint argutiae, quibus innixus impugnare opinionem possis. Sed facile est, singulas refellere. Etenim si dissolvendis quibusvis cibis impares forte lymphas has, isto quidem argumento, quod insipide sint, dijudices, respondeo: Hanc prærogativam esse cuiusvis catholici menstrui, ad cuius apicem suo jure adscendent istæ in microcosmo, quæ quando nullo excedunt sapore, omnis generis cibos felicissimè digerunt, quod frustrâ ab acido vel alio, polluti sapore expectes, totum potius digestionis opus særissimè pervertentibus, velut in iis, qui picâ, scorbuto, malo hypochondriaco, febribus, &c. laborant, res clara est. Et quid de solvente isto universali, fluido aëre, existimas, qui quanquam linguam naresque non feriat, magnam tamen & in vulgus peryagatam, quâ edax rerum dicitur, solvendi potestatem exercet? Aut quid de mercurio vulgi putas, insipido pariter & inodoro, compactissimum tamen metallorum Solem, promptissimè recludente, vel de aquâ calidæ, simplicis aut spirituosa, halitibus, C. C. ebur, aliqua dura sibi exposita continuo motu in friabilem, quam à diuturno prunarum ardore vix habeas, substantiam redigentibus? ut taceam, quam communis aqua in extrahendâ ex compactioribus animalium partibus, carnibus nimirum & ossibus, gelatinosa substantia, qualem lympha continet, quæque genuinum solidarum partium nutrimentum supponitur, coctionis ope vim exferit, & non adducam quæ de insipidis menstruis elegantissima habet laudatissimus Bobnius in *diff. chymico-phys.* 6. §. 21.

### XIX.

Neque enim utut insipide sensibus videantur menstruales lymphæ, corpusculis activis, solvendi vim habentibus omnibus, si rem intimius spectes, omnino desituuntur. Eorum enim præsentiam in salivâ, quod de reliquis quoque ejusdem cum hac naturæ, ortus ususque augurandum, impedita à commixtione ejus mercurii, quam mortificationem vocant, mobilitas, & variæ

ria in medicinā ab Helvetio diribit, medic. cap. 16. aliiisque adeò  
celebratæ virtutes arguunt, & chymicum examen in apricum  
ducit. Evaporata namque, vel Q̄ta recens jejuno ex ore collecta  
limpida saliva, leniore calore, quam pluvialis aqua, insipida  
prorsus transit, reliquo pauxillo materiæ, nunc albi, nunc fusi  
coloris, linguam subtili sale, temperato tamen & oleoso, ferientis,  
cui plurimas scintillantes particulas mixtas hinc inde vidit lau-  
datus Nuck loc. cit. Præmissa verò putrefactione volatile  
elargitur, ut sint, qui ipsum secretum naturæ Θ via hac ve-  
nentur.

### XX.

Quāmvis autem activa ista corpuscula conspicua sic fa-  
tis fiant, ea tamen horum temperata mixtio est in statu natu-  
rali, eaque singularis compositio, ut nullo fere sapore prodant,  
& facile sibi admisceri quævis patiantur, ut vix occurrat, quo  
cum dignè comparari possint vitalia menstrua. Sic aqua, ut  
loquitur laudatus Steno loc. cit. §. 28. quem in salivæ exami-  
ne imitatus est Nuckius loc. citat. salem præter & m̄tum, aut  
his temperata, nihil sibi admisceri patitur: admittit eadem  
oleum, sed oleum aquæ sine medio qui conjunxerit, nondum re-  
pertus. Spiritus aquæ & oleo jungi poterit, non autem sa-  
li, nisi artificio. Salsis acida facile miscentur, sed non sine  
effervescentiâ. Saliva verò (idem de reliquis judicandum)  
omnia ferre valet. Sive enim intra corpus, sive extra exami-  
naveris, nihil invenies, quod illa respuat, nihil, cui sine pugnâ non  
assuetetur, quæ salia tam acida, quam alcalina sulphureaque cor-  
pora sine luctâ imbibere docta est.

### XXI.

Vitalem his activitatem addunt summè mobiles & subti-  
lissimi animales spiritus, qui per innumeratas nervorum propa-  
gines in glandulas oris, ventriculi intestinorumque uberiorū af-  
fluentes, dictisque lymphis commixti, ita in motu activitateque  
easdem exaltant, ut supra chymici cujusdam menstrui virtutem  
alimenta dissolvendi, fibique & toti convenientes nutritias ato-  
mos extrahendi vim habeant.

### B 2

### XXII.

XXII.

Et in hoc præcipua omnino chylificationis ratio confitit, ut & ciborum centra solvantur, & optima substantifica portio, resarcendi corporis partibus congrua eliciatur, vitalitatisque insigniatur charactere: Cui perficiendo negotio an aptius exco-gitari possit principium, quæ sensibus natura suggerit affluentia vitalia menstrua, vivido turgida spiritu, ego quidem dubito.

XXIII.

His ita prælibatis in proclivi est, totum chylificationis processum breviter, sed clarius delineare, qui hunc ferè in modum se habet: Cibi dictâ ratione in ore comminuti, primoque vitali menstruo, salivâ irrigui, cum potulentâ materiâ, musculorum lingue & cesophagi beneficio ad ventriculum protruduntur: Qui amplectens undique & complicans eorum massam, cum altero microcosmî alcahest, ex pressis glandularum papillis stillante, eandem confundit, & adjuvante digestivo calore, jugique blando motu subactam magis & dissolutam, per pylorum tandem in intestina, ceu prolongatum ventriculum, successivè exprimit, à quorum insipidis pariter lymphaticis menstruis, ex pancreate & intestinalum miliaribus glandulis jugiter emanantibus, ac oleosa bile penitissimè tota dissolvitur, sed circa omnem tumultum & effervescentiam.

XXIV.

Tantum enim abest, liceat hoc in parenthesi velut notare, ut bilis dissolvens alimenta cum his effervescat, ut acidum potius eorum eminenti sulphure suo domet obtundatque, & resultantem ex analysi illâ fermentationem præcaveat atque compescat. Quo nomine etiam verum naturæ fermentum & balsamus universalis partium totius corporis verè bilis dicitur, quæ sicut vitali sulphure suo condit chylosam massam, atque à peregrinis odoribus præservat & vendicat; ita à defectu ejus atque diatheresi acores morbifici, & cruditates vifcidæ, aquosæ, unde chronicorum morborum, mali nimirum hypochondriaci, scorbuti, cachexia, hydropsis, febrium intermittentium, &c. feminia pullulant, exsurgunt.

XXV

## XXV.

Dum vero sic, ut in viam redeam, alimentorum massam in minima dissolvit menstruale serum, pro locorum diversitate diversinodè haetenis cognominatum, eadem opera approprias oleaginosas substanticas partes extrahit, & sibi implcat unitque. Unde consurgens fluidior massa, menstruali nupta lymphæ, immixtaque potui aqueo, cinericæ ut plurimum coloris in intestinis appetet, quæ separata à fæcibus mox niveo candore superbit in lacteis venis, sub chyli nomine.

## XXVI.

Secretio autem hæc non præcipitatione quâdam, ut cum *Sylvio diff. med. 2. & Graafio loc. cit.* multi opinantur, sed merâ extracti chylofi percolatione peragit. Quo in negotio villosa interior intestinorum crux, seu velamentum bombacinum, filtri vel incerniculi, & pullulantia inde lactea vasa excipulorum vices gerunt. Dum enim fecibus supernatans & fluctuans in intestinis chylofa massa, per gyros horum atque anfractus successivo peristaltico motu à principio ad finem usque lente propellitur, & eadem intestini portio massa istâ modò repletur, modò depletur, pars hujus, dum latera intestini, pressione abdominis & diaphragmatis descensu, proprius undique alluit, per laxiores, intermissâ compressione, peristromatis poros, tanquam colum, intra hiantia lacrimalium oscula admittitur, & superveniente fibrarum contractione altius in vasa compellitur, relictis crassioribus, veluti capite mortuo, continuato intestinorum motu per portam inferiorem eliminando. Vid. CL. *Zypæus fundament. med. physico-anat. part. I. cap. 3. art. 3. §. 5.*

## XXVII.

Chylus proinde neclar est & quinta alimentorum essentia, à vitalibus menstruis in ventriculo & intestinis extracta defæcataque. Ad cuius *naturam* indagandam non magno nunc molimine opus est, modò, ut ex alimentis extractus est atque compositus, in elementa iterum sua resolvatur. Sic enim totus chyli contextus in aq.-oleoso-gelatinosam massam faceficit, hoc est, ex aquâ subtili, oleaginosâ & mucaginoso gelatinosa substantia, partibus tribus essentialibus, compositam

quibus aquosa, & respectu assumtorum, salina, ita sese admiscent,  
ut separari intra primas vias nequeant, sed villos intestinorum  
& lacteas simul, pro facilitandâ chyli distributione, sivebeant, lon-  
giore demum digestione & circulatione divellenda denuo, at-  
que per convenientia cribra fecernendæ. Et partes chyli istæ  
oculis obscuræ adeò non sunt, sed nudis pariter ac microscopio  
armatis deprehenduntur: His namque subjectus chylus in-  
numeratas oleosas bullulas discontinuatas dispersasque in cry-  
stallino liquore ostendit, tanquam nil aliud chylus esset, quam  
innumerabilium globulorum in tenui glutinosâ materiâ natan-  
tium congeries, annotante *Antonio Lewenbac. in Transact. An-*  
*glie. anno. 81. dec. 10. num 3. pag. 52.*; illisque easdem manife-  
stat, quando evaporatâ aquæ parte, in pingue fibrosam mu-  
ciliaginem, gelatinam similem, concrevit, & eadem cum lacte ele-  
menta ob oculos cuivis ponit, de quibus *Charleton in oconom. a-*  
*nimal. exerc. 3. videatur.*

### XXIX.

Ex quibus qualitates chyli, quibus cum describere thes. I.  
placuit, dum *album* colore, *sudulcem* sapore, & *liquidum* con-  
sistentiâ dixi, erui nunc postulant. Quanquam autem, quod  
*albedinem* ejus primum attinet, colorum causas atque essentias  
tamen controversas atque obscuras intellectui, quâm sunt ipsi vi-  
sui manifesti, cum *illustri Scaligero exercit. 325. sect. 1.* ipsemet fa-  
cile confitear, cum tamen afymbolum hinc abire non licet, &  
suppositum Recentiorum istud, quod colores nil aliud sint ex-  
tra nos, quam luminis ab objectorum superficiebus institutæ mo-  
dificationes, five modi varii, quibus corpora lucis radios reci-  
piunt, & vel absorbent, vel ad oculos insigni diversitate remit-  
tunt, evictum ferè videam, nil moror, quin causam albedinis  
chyli probabiliter quæram in texturâ ejus, ob innumerabiles o-  
leosas pellucidas bullulas, confractas, comminutas collectasve  
ab aquâ, multis minimis specularibus quasi superficieculis con-  
stante, ita ut incidentes in eas lucis radii, undiquequa-  
que confertim omnes penè ad oculos reflexi, apparentiam istam,  
albedinis donatam nomine, inferant: quemadmodum circa for-  
malitatem hujus curiosas conjecturas fovent *laudatus Boyle, tr. de*  
*cole.*

*coloribus part. 2. c. 1. cobaltus, tr. phys. c. 27. & corpusculari philosophiae addicti plures alii.*

### XXIX.

Suevit alias candor chyli sulphureæ ejus pinguedini, ab acidis, ut putantur, ventriculi vel intestinorum fermentis præcipitatæ, adscribi, & lactis sulphuris, &c. C. fuliginis, vel extra etorum vegetabilium resinosorum cum acidis fricatorum, exemplis explicari, ut ex *Willisio, tract. de ferment. Diemerbrack, anat. pag. 31. Biblioth. anat. T. 1 pag. 164.* & tantum non omnibus, qui ea de re scripsere haec tenus, videre est. Verum præcipitatio talis præterquam quod ob acidi defectum fermenti imaginaria faltem sit, inconveniens etiam prorsus est negotio isti, chyli ut pote texturam planè destruens. Hoc inde evidenter constat, quod quæcunque acidorum genera per chymiam nota sunt, omnia mox contactu suo chyli æque ac lactis, quod chylus tantummodo magis digestus est, contextum turbant, dum in serosam substantiam fluidiorem partem redigunt, gelatinosis pinguis ad fundum secedentibus: Quod tamen ne in intestinis forte contingere, sulphuream bilem natura ordinavit, ut acidum ciborum obtunderet, & ita functionem omnem præcaveret.

### XXX.

Unde propius albedinem chyli, ex chymicis quidem principiis, ab oleofis ejus, sive sulphureis particulis, in partibus aquo-fis resolutis, cum celebrissimo Wedelio c. l. pag. 123. alii accersunt. Sique rem exemplis illustrari ames, emulsionibus, albo conspicuis colore, declarare eam præstat. Ecquid enim aliud chylus est, quam naturalis emulso, lac istiusmodi artificiale per eleganter emulans, cum utriusque contextus, & resplendens inde albedo à molecularum oleaginosarum cum vehiculo aquo commixtione, siveque luminis illâ reflexione, emergat? Idem in lacte, nec non esentiis resinosis cum aquo liquore confusis, eandem ob causam, evenire videmus. Ita & ta quoque olea, confusa cum aquis & conquaßata, siveque in numerosissimarum bullularum congeriem redacta, ob eandem superficie suæ disponsi-

spositionem eodem colore resplendent, ut alia innumera hic non attingam.

### XXXI.

Quod ergo ex variis variorum colorum alimentis albus emper & ordinariè chylus producatur, id mirari tantoper non est, nec albedini tunicarum ventriculi cum Galeno tantum tribendum, sed in eadem dicta partium oleosarum substantificarum cum aqueis contexturâ unicè querendum, quas nec alias vitalia menstrua imbibunt, & cum eisdem proinde in ejusdem semper coloris aquabilem mastam coeunt.

### XXXII.

Propter quam quoque texturam linguae ab blanditur chylus: Quatenus particulis suis roscidis oleosis, cum aqueis lentis & mollibus respersis, nervearum linguae papillarum medullarum blandè titillare, quam pungere aptis, levem etiam nidulanti in illâ spiritui motus determinationem infert, cuius perceptionem per nomen grati & dulcis cuiusdam saporis enuntiamus. Licet negandum non sit, pro admixti  $\Theta$ is, respectu assumtorum, prædominio, falsum quoque eundem deprehendi, quo tamen liberatus dulcis in lacte, & insipidus, aut vix perceptibili false dñe pollens in lymphâ sentitur.

### XXXIII.

*Fluidus* tandem & *liquidus* chylus est, ob aquæ, cuius minima in perpetuo motu sunt, abundantiam, quorum spatiolis interspersi subtilissimi spiritus aereaque machinulae majorem fluentem conciliant, cui tamen certam consistentiam, lactis quodammodo æmulam, oleaginosæ substantificæ partes, aqueis implicatae, coenerant.

### XXXIV.

Visis ortu indoleque chyli, ad motum deproprio: Quo de, quod versus sanguineam fiat mastam, quanquam nulli dubium sit,

fit, de viis tamen, per quas iter hoc ab intestinis dicit, hoc-  
num controversia viget, dum alii pro venis mesaraicis sanguini-  
fluis ad hepar, cum antiquitate, alii pro lacteis ad cor, alii pro  
utrisque, cum rationis, tum experimentorum robore pugnant.

### XXXV.

Chyli patentem in lacteas viam sicut liquidissimam ay-  
topsia facit, dum divulsa unguibus intestinorum communi tu-  
nicâ, ab interiore bombycino velamento, colo chyli isto, ceu à  
matrice, vel solo, pullulare oculis ista cernuntur, testante *CL.*  
*Drelincurio in canicid. 17. §. 4.* digitoque pressa iudicantem  
chylum in cavitatem illorum revomunt, ut ita ex retrogradâ ab  
intestinis lymphâ contentum istud lactearum chylosum opero-  
sè conquirere *CL. Swammerdamium in notis ad prodr. Hornii*  
*pap. 29.* nihil prorsum urgeat; Sic ardua nihilominus quæstio re-  
stat, an solis his lacteis venis universum distributionis chyli ne-  
gotium natura concrediderit. Id quod dubium inde videri pos-  
sit, quod ingressum chyli in mesaraicas sanguifluas venas oculi  
se demonstratione exhibere posse, testetur *CL. Hornius in*  
*prodromo de part. generat. in utroque sexu ad Rofinc. coronidis*  
*loco,* experimentumque ipsum à laudato *Swammerdamio loc. cit.*  
expositum id evictum eat, quo ligata post pastum dictæ mesa-  
raicae venæ sanguinem striatum & albis permixtum lineis, hoc  
est, chylosum, continere observantur. Cuius proventum chyli  
istum ex arteriis, sicque per lacteas sanguini prius infuso chy-  
lo, derivare forte velis cum *CL. Casp. Bartholino, de struet. dia-*  
*phragmat. cap. 3. seet. 2.* Bilisi etiam istud succurrere videtur,  
quo agili manu ligata arteriæ mesaraicæ, vacuæ, & venæ è con-  
trariò succo subobscuro cinereoque repletae conspiciuntur, in-  
existentis chyli, nec nisi ab intestinis provenientis, argumento.

### XXXVI.

His verò & quæ alia minoris roboris afferri hanc in rem  
suevere, penitus expensis, nil causæ est, quamobrem à com-  
muni ac regiâ lactearum viâ deflectam, aut præter hanc alias

C tra-

tramites admittam, permotus tūm successu experimenti Bilfiani fallaci, quem Steno in *respons. ad vindic. hepat.* pag. 62. & Lowenus tr. de corde cap. 5. Anatomici solertissimi, observatis obser-vandis licet omnibus, serio attestantur, tūm verò contrario huic experimento certissimo, quod ex laudato Lowero loc. cit. CL. Zyppeus loc. allegat. §. 9. ita habet: Quod si thoracicus ductus, ubi simplex est, digito per thoracem immisso, postpastum prematur, ita à chylo continuo ductum versus appellente, omnia vasa lactea distenduntur, ut nusquam eorum numero-sitas, conformatio, anastomoses & valvulae clarius in conspectum ve-ant: Quodque, si experimentum mox à pastu instituatur, ac per horam continuetur, tuncque cani sanguis ex sectâ venâ educa-tur, nihil chyli in detraicto sanguine appareat, secus autem, dum ductus thoracicus ab angustante digito, tempore aliquo, libera-tus fuit: Nam sicut tunc chylio transitus conceditur ad cor; Sic sanguini, post medianam horam à ductus relaxatione ex sectâ ve-nâ effluenti, in copiâ ad oculum innat, chylum ex intestinis ad sanguinem tendentem nullâ aliâ, quam lacteâ viâ ferri, ma-nifestâ experientia hâc dilucidans. Quam mechanica utrorum-que vasorum structura ac conformatio ulterius confirmat, dum lacteâ ab ipsâ, ut dictum, villosâ crustâ emergere conspiciuntur, & digito pressâ chylum per eandem in intestina revomunt, cum contrâ sanguisflua venâ sicut in arcum flexâ in crustâ illâ ja-ceant, ramos suos omnes introrsum, extrorsum nullos mittentes ut microscopio observavit laudatus A. Lewenbæck l. c. mens. Jul. 1684. n. 160. p. 587.

### XXXVII.

At inquis: experimentorum hâc vis est, quâ sibi limites figi nondum patitur sana ratio. Cum enim lactea diéta vasa non nisi lymphatica sint modernis quibusdam, revehenda ab in-testinis lymphâ primariâ destinata, ita ut istud demum nomen, quando chylum venhunt, promereantur, quæ ergo causa est, quod solis his, nec sanguisflui simul venis idem demandarit munus provida natura, quibus tamen lactearum finem, chyli nempe in sanguinem transfusionem, citius & nullis ambagiis obtinere potest?

poteſt? Sed nec in hæc tradendâ prorsus fallemur, quamvis non  
æque obviā reperiāmus.

XXXIX.

Perfectioni namque chyli, qualem in mesenterii glandulis imaginatur *CL. Brunnerus*, *diatr. de lymph. & succ. pancre. c. 8.* illud obſtat, quod lactea pancreati quidem, glandularum mesenterii maximæ, & incubent & succumbant, sed in illud ſeſe nusquam exonerent. Quotquot enim, loquor *cum laudato Drelincurio loc. cit. canicid. 16. §. 5. & 6.* id viſceris perreptant, tot profecto ſerpunt ulterius, inque ſpecum longè remotam, ſibique ſingulis atque lymphaticis vaſis communem, ſeſe illatebrant. Et licet præterea lactea multijuges illabantur etiam in glandulam iſtam, illam tamen nequaquam irrigant. Hæ etenim ubi plures ſeſe invicem expiunt, & plures concurſu atque confluxu alveos formant, tunc equidem in glandulas mesenterii poſticas inſluunt, ſed præterfluunt omnino, & chylum ſuum omnem atque lympham in *Pecqueti* receptaculum uſque transvehunt: Ut glan-  
dulis *Aſelliani* pancreatis ungue deglubitis, hoc eſt, tunica spoliatis, atque inſuper, ut ita dicam, per laminulas, aut per ſtrata deglutinatis, lacteos rivos atque lymphaticos cernere eſt glandulas præterlabi, & in conceptaculum *Pecqueti* confluere. A quibus non aliena tradit *Diemerbrack*, quando viſcorum laetorum quamplurima magnam mesenterii glandulam ingredi, multa verò per ſuperficiem transgredi, indeque mox ad magnum chyli receptaculum definere, meminit *l.c. l. i. c. 10.*

XXXIX.

Ex quibus etiam laetorum iſta in primi & secundi generis uſitata hactenus diſtin&io experientia contraria appetat, nec minus nutritii nervorum ſucci, quam *CL. Whartonius*, *adenograph. c. 10.* cum aſſeclis ſparſit, separatio ultrò concidit; illorumque opinio, qui potulentorum aquofiorum ſecretionem in glandulis iſtis augurantur, utroque pede claudicat, præter hæc quippe excretorio viſe, anxiè quæſito hactenus, hodienum deſtituta.

## XL.

An ergo chyli motu isto in sanguificationis negotio cor-  
di primas deferri natura voluit, ut cum celeberr. Thomae Bartho-  
lino multi colligunt? Hoc quanquam ego affirmare simpliciter  
nolim, qui quid primitivum sanguinem ex seminali lymphatico-  
materni ovuli colliquamento confecerit, attendens, neque cor, ne-  
que hepar, aut viscus aliud, sed vitalem auram, ipsius sanguinis in-  
colam, autorem ejus ac restauratorem, motus calorisve sui ratio-  
ne, cum Nobiliss. Glissonio in anat. hepat. cap. 35. agnosco: Id ta-  
men asserere nullus dubito, eum in finem per lacteas cordi prius  
& pulmonibus, quam alii corporis partibus, cum reduce sanguine  
& lympham chylum infundi, ut conquaesatio illius motu &  
torculari horum tota massa dividatur, & in minima communiciatur  
atq; commisceatur & transmissio è Malpighianis vesiculis novo vitali  
aere animetur, quo resoluta sic & rarefacta in pulmonibus, & ex sin-  
istro cordis sinn validâ vi ejaculata sparsaque per universum corpus,  
determinatas in singulis partibus particulas deponere, & faciliore  
per minutissima vasorum capillitia, porosque partium circuitu de-  
fungi, ac repetita circulatione, longioreque digestione, in purio-  
rem tandem æquabilem massam abire possit. Id enim nisi fieret,  
crudior & viscosior evaderet massa, sanguinis distributioni, cor-  
poris nutritioni & heterogeneorum separationi penitus inepta.  
Vid. Lowerus l. allegat. c. 3. & Thruston. de respirat.

## XLI.

Quibus ita se habentibus, de motu chyli sic concludo: Re-  
ceptus ex intestinis per villosum peristroma in lacteas chylus,  
impresso ipso ab intestinis motu, & continuata novi chyli succe-  
sione, juvantibus semilunaribus valvulis, de quibus Ruychius di-  
lucid. valv. in vas. lact. & lymph. cap. 2. & Pecquetus experiment.  
anat. nov. videantur, per infinitos furculos, multifido ductu me-  
fenterium ejusque glandulas perreptantes, maiores in ramos, ceu-  
rivilos, & ex his in fluvios quasi varios propellitur, & in Pecque-  
ti receptaculum, lacteis atque lymphaticis inferioribus commune,  
effunditur. In quo cum lympham, ex inferioribus partibus resuâ,  
com-

commixtus, continuâ diaphragmatis, inter cuius tendines situm est receptaculum, pressurâ, arteriarumque pulsu ulteriùs per bifurcatum thoracicum ductum, successivè ab unâ valvula ad aliam promovetur, tandemque in subclaviâ sinistrâ, ore vel multiplici, sed angusto, vel unico, sed patentiore, infusus, à reflui sanguinis fluente dextrosum cor versus abripitur, superatâ ultimâ illâ valvula, à B. *Eustachio* in equo primum observatâ, & lib. 3. de renib. off. & venâ sine pari antigr. 13. hostiolum semicirculare nuncupatâ, quæ superiori vena parti uno latere adnexa, & altero inferiora versus pendulo, lacteis ostiis operculi instar obtenditur, ne sanguis ex subclaviâ, vel jugulari ruens in chyliferum alvum irrumpat, chylique effluxum præpediat.

#### XLII.

Eminent chyli cursu, finis supereft. Hunc vero nutritiōnem corporis esse, unanimi suffragio fatentur omnes, quæ sicut cum vitâ adamantino velut vinculo combinata est, ita, ut hæc non nisi continens nutritio sit, & nutriamur, quamdiu rectè vivimus, & vivamus, quamdiu nutrimur: Sic facile patet, quantum ab ordinario recentis atque laudabilis chyli affluxu vita ipsa, ejusque functiones omnes dependeant.

#### XLIII.

Sed satisfecisse videbor officio, si quomodo massam sanguineam chylos conservet, paucis demonstravero. Hæc enim vita ille thesaurus est & velut generalis fiscus, in quem tributa quævis, redditus & vectigalia recipiuntur, & à quo sumptus quivis atque impensa in corporis totius necessitates ac comimoda erogantur: hoc est, ad quem vitale fluidum omne in corpore confluit, & ex quo partes hujus omnes, sub tertiaro continentium seu solidarum, contentarum seu liquidarum & impetum facientium sive spirituofarum, numero ab Hippocrate lib. 8. epidem. setz. 8. t. 19. comprehensa, oriuntur & conservantur: quandoquidem verissimum est, quod celeberrimus quidam Anatonicus habet: omnia ad sanguinem, omnia pro sanguine, & omnia ex sanguine.

C. 3

XLIV.

## XLIV.

Hic autem litem prætero, quæ de elementis, dictam sanguineam massam componentibus, cum venerandâ antiquitate neotericis intercessit, partes ejus integrantes ex simplici analysi petiturus. Quod dum facio, sanguinem ex variis equidem particulis, figurâ, motu, modisque aliis differentibus, sensibiliter tamen sub globulis purpureis, aquâ & gelatinâ comprehensis, contextum reperio. In has enim partes secatâ venâ in calidam aquam effusus sedere oculis observatur, dum pars aquæ in aquâ mollem concedit eamque adauget, pars in gelatinam coit, & globuli purpurei liberè per aquâ mollem natitant. vid. Brunnerus loc. cit. cap. 10. Unde tres sensibiles sanguineæ massaæ partes, serum scilicet aqueum, substantiam gelatinosam, quas conjunctim lympham vocant, & tertiam molecularum purpurearum istis intertextarum, sive tinturam rubicundam, quam sanguinem *υαὶ ζωχὴν* nominant, præeunte Barbato, in bistor. sangu. & ser. rectissimè Recentiores faciunt: quarum ea ad invicem in corpore nostro proportio est, ut tinturæ purpureæ quantitas decies ad minimum à seroso-gelatinosa subtantiâ, seu lymphâ, superretur, & sic exile admodum sit, quod sanguini speciem atque nomen dat, secus ac olim & haec tenus opinatum fuit, antequam eleganti experimento id demonstrârit sibi laudatus DD. Bohnius, in Act. Erud. Lips. ann. 82. p. 127.

## XLV.

Cum ergo fluctuantem in vasis suis sanguinem seroso-gelatinoso-purpurea massâ, sive sanguinea lympha, constituat, videndum nunc, an & quomodo conservare eam ac refarcire chylus possit: Quodquidem demonstratu facilè erit. Etenim sicut chylum ex partibus pinguibus oleosis, mucaginoso-gelatinosis, & vectoribus harum aquosis contextum suprà exhibui; ita oleosas pingues purpuram induere, hacque vitæ tinturam, sanguinem *υαὶ ζωχὴν* dictum, nutriti, mucaginosas verò in mucilaginem vi- talem, seu gelatinam, facessere, & aqueis aqueas, sive serosas, hisque duabus conjunctis lympham animalem restaurari, jam astero.

## XLVI

XLVI.

Etne obiter hæc dicta putes, en modum etiam, quo chylus sanguineæ massæ assimilatur, sed brevissimis exponam. Quantum ergo ad purpuram ejus primum pertinet, restauro ipsam ex purioribus oleosis chyli globulis, à digestivo sanguinis calore, à rarefactivo ejusdem motu qui oriundus est, resolutis, expansis, exaltatisque, & ita alio modo receptum lumen reflectentibus: Vid. CL. Pecklini *diss. de corde art. 25. seqq.* Sic in chymia novum non est, sulphureos liquores solâ digestione, vel accidente resolvente sale, veluti album vaccinum lac cum sale  $\text{Fe}_2\text{O}_3$  digestum, in rubrum transmutarunt *Nobiliss. Elsholzius in destillat. curios. cap. II. & Harderius in prodrom. physiol. p. 49.* resolutos, ruborem induere. Cùm autem rarefactivus iste sanguinis motus, & oriundus inde digestivus calor ab interspersâ totam intus mollem agitante vitali aurâ dependeat, hujusque elater ab admissis intra pulmones novis in sui sulphuris penetralia aereis subsidiis perpetuò refaciatur, ratio adepti in illis floridioris vividi coloris, quo sanguis arteriosus antecellit venosum, facile patet, quæ enim in majori motoris interni elasticitate, sicque globulis sanguinis magis dilatatis & rarefactis, unicè sita est, ut ad cordis flammulam, vel fermentum quoddam confugere nihil prorsum urgeat. Vid. *Lowerus l. c. Borellus l. c. cap. 8.*

XLVII.

Lympham, sive seroso-gelatinosam sanguineæ massæ partem, ex aquæ & mucaginosis chyli partibus nutrita, thes. 45. innui. Quo in opere digestivo sanguinis calori, pulmonumque torculari, & cordis ac arteriarum conquassativo motui denud multum tribuo. Cùm enim aquæ subtili & mucaginosa-gelatinosa, partibus chyli essentialibus, plures quoque heterogeneæ, a quofores nempe &  $\ominus$ no-terreæ adhærent, vix aptiore modo uniri poterunt homogeneæ aqueo-gelatinosa, & separari aquoæ ac  $\ominus$ no-terreæ, quam subdivisione partium chyli in pulmonibus, motuque cordis & arteriarum conquassativo, ac digestivo sanguinis calore. Videmus hujus rei exemplum quoddam in conqualatio-

satione lactis œconomicâ : In hâc sicut continuo reciproco motu,dilatativo & constrictivo,quod modò in altum ascendit lac,modò iterum deprimitur , usque in butyrosam homogeneam massam crassam,& tenuem serosam facessat substantiam ; ita motu per pulmones isto divisus ac discissus in minores partes chylus , & commixtus cum sanguineâ massâ , continuatâ cordis & appendicium ejus,arteriarum,systole atque diastole , modò dilatatur , modò constringitur & ad vasorum parietes alliditur , usque repetitis circulationibus , & adjuvante digestivo sanguinis calore , mucaginozo-gelatinosæ cum aqueis purioribus incœctis cum vitali sanguinis gelatina , qua partes solidæ omnes nutriuntur , coeant magis , atque in simili planè motus figuræque massam tandem mutentur , ac serosæ tenues his pro vehiculo sint , aquosores autem cum aliis heterogeneis distinctæ quodammodo & facile separabiles existant , suis quævis cribris vel vaporetenus,vel sub crassioris substantiaz specie , successivè secernendæ atque è corpore eliminandæ . Vid .  
*D.D. Wedclii nostri obs. 2. ann. 6. Ephemerid. Germ.*

XLIIX.

Non enim uno per corpus circuitu sanguini dicto modò assimilatur chylus , sed longiore demum digestione & crebriore circulatione , depositis aquosioribus salino-terreis recrementis,edulcatus,atque purissimus redditus,in nobilem illam & vitalem seroso-gelatinozo-purpuream massam , sive sanguinem & lympham,verum innatum calidum & radicale humidum , adolescit , in cuius debitâ crasi motuque sicut maximum vitæ ac valitudinis nostræ momentum situm est ; ita turbatis iisdem , vel quomodocunque lœsis , tot morborum lerna profilit , corpus pessundans , ipsique vitæ imponens finem.

S. D. G.

Leipzig, Diss., 1686

ULB Halle  
005 300 908




3

KD7

L6

B.I.G.



D. B. V.  
ITATIONEM  
De

1686/1  
YLO,  
tiosissimæ Facultatis

Medicæ

Æ S I D E

OFREDO BER-  
icinæ Doctore & Pro-  
Extraordinario,  
orum Censuræ submittit

JACOBUS FICKIUS,  
Jenensis.

ar. M DC LXXXVI.

m Collegii Auditorio  
Majori.  
meridiem consvetis.

IPSIAE  
ANNIS GEORGI.